1209.

C. D.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

FORMA FEUDI:

QVAM,

CONSENSU ET AUTORITATE
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI JURIS-
CONSULTORUM ORDINIS,

Sub Præſidio

VIRI

MAGNIFICI,
*NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, JU-
RIS-CONSULTISSIMI*

DN. JEREMIÆ
REUSNERI,

Icti Famigeratiſſimi, Anteceſſoris Primarii, Juridicæ Facultatis Ordinarii, Curiæ Electoralis & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſoris Graviſſimi, Mecænatis atq; Præceptoris ſui omni animi cultu ætatem proſeqvendi:

Publico examini Subjicit

JOACHIMUS NERGER
Gryphimonte Sil.

Ad diem XIV. *Februarii*
Horis Antemeridianis
In Acroaterio Ictorum.

ROMA

WITTEBERGÆ,
TYPIS JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO cIɔ Iɔc L.

1720.

CUm interſit nihil, verbis Princeps voluntatem ſuam, an rebus ipſis & factis declaret *l. 32. §. 1. D. de ll.* ac jure conſtituti loco habeatur, cujus origo memoriam exceſſit *l. 3. §. 4. D. de aq. qvotid. & æſtiv.* libris Feudorum (qvamvis ratione qvarundam Conſtitutionum hos Juri ſcripto accenſeri poſſe, diffiteamur nulli; expreſſus enim Legislatoris conſenſus Legem â conſvetudine diſcriminat) autoritatem legis tribuamus neceſſe eſt, qvia eosdem Impp. Principesq; tacitè receperunt; pariterq; diuturna conſvetudo pro jure & lege in his, qvæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet. *l. 33. D. de ll.* Commendatione qvoq; cum horum jurium neceſſitas & utilitas haut egeat, ſiqvidem ipſa ſe oſtendunt, *arg. l. 1. D. in integr. reſtit.* miſſis ante-fationis circuitionibus, arcem rei ſtatim introgrediemur. Eò verò impræſentiarum cogitationes intendimus, ut, qvî Feûdum conſtituatur, pro ingenii paucitate diſſeremus. Lapſui pronum animum, lingvæq; balbutiem qvò dirigat, conatumq; fini ſiſtat ſuo, Jurium fons Deus, exoramus ipſius opem.

Magnificus Dn. Præſes, Mecænas meus obſervandiſsimus, Cui, ob præclara beneficia in me derivata æternis debitionibus me oportere eſſe obſtrictum, gaudeo plurimum; *Diſp. Feud. 1. th. 24.* Bronchorſt C. 2. Miſc. aſſ. 82. Hunn. de autor. juris c. 8.

§. 1. Conſtitutionem & acqviſitionem Feudi confundi non oportet. Unicus modus conſtituendi eſt inveſtitura *1. F. 25:* plures acqvirendi modi. Inveſtitura vetus & novum Feudum reſpicit; illud, dum nunqvam res immobilis feudum facta fuiſſet, niſi præviâ Inveſtiturâ, ſic etiam ad Vaſallum non devolveretur. Hoc; cum res nulla eſſet feudalis, niſi de eâ qvis inveſtiretur: licetq; acqviſitio cum conſtitu-

tione

1702.

tione coincidere videatur, qvia inveſtitus de novo ſimul acqviſiiſſe cenſetur, differunt tamen ut prius & poſterius, cum neceſſe ſit, prius res fiat feudum, & pôſt res feudalis facta per inveſtituram, acqviratur qvoq; per inveſtituram: & ſic duo Inveſtituræ effectus; unus reſpicit inveſtientem, alter inveſtitum; reſpectu inveſtientis eſt conſtitutio, reſpectu inveſtiti eſt acqviſitio; qvatenus qvidem per inveſtituram acqviritur beneficium, eatenus dici poteſt modus acqvirendi, arg. c. unic. in pr. 2. F. 11. 2. F. 33.

Schroter ad Theſes Feudales Setſeri Diſp. V. in pr. additione ſecundâ.

§. 2. Præcepta Philoſophorum inſignē in ſanctisſimâ & celeſtisſimâ Juris-Prudentiâ præbere uſū, in cōfeſſo eſt; rē Philoſophicā ICtus negare neqvit, ſubtiles tamen terminorum acceptiones non ſemper obſervare poteſt, cum juris ſcientia ſuos â ceteris diſciplinis diſconvenientes modos loqvendi habeat: *Et eſt eruditi, ſubtilitatem reqvirere in omni genere eatenus, qvoad rei natura patiatur.* Ita, qvod Philoſophus formam & formalem cauſam amat pronunciare, Legum-Conſulto eſt ſubſtantia, *l. 72. D. de contr. emt.* Solenne, *l. 20. §. 7. D. qvi teſtam. fac. poſſ.* interdum & ipſa forma *l. 9. §. 3. D. ad exh.* Forma Feudi, per qvam res eſt, ſeu, qvæ ſubſtantiam rei ſalvam reddit, *d. l. 9. §. 3.* gemina, interna & externa: Illam intimamus fidem, qvatenus uſufructui feudali cohæret, *2. F. 23.* cum fides ſola feudum non conſtituat, ſiqvidem eadem multis in contractibus adhuc ſervanda. Hæc ita qvalificata fides nec remitti nec pacto poteſt tolli, cum nulla inveſtitura debeat ei fieri, qvi fidelitatem facere recuſat, cum â fidelitate feudum dicatur, vel â fide, *2. F. 3. §. 1.* Et licet qvædam feuda ita dari poſſint, ut pro his fidelitas non ſit præſtanda, *2. F. 24.* fidelitas

Ariſtot. Ethic. 1. c. 3. p. m. 23. Dn. Fiebig. Elect. Juris Publ. Semid. III. q. 4.

Duaren. Comment. in Conſvet. Feud. c. 2. n. 3. Bronchorſt. Cent. 2. Miſc. aſſ. fin.

tamen

tamen ibi denotat tantùm juramentum fidelitatis, qvod remitti poteſt, & pacto tolli, *d. 2. F. 24. 2. F. 3.*

§. 3. Inveſtitura, externa forma, qvam Veteres, veſtimentum qvoq; dixere, *& 1. F. 26. 1. F. 28.* inveſtitio dicitur; plura notat: In genere deſignat qvemlibet actum, qvo alicui poſſeſſio qvocunq; jure conceditur: in ſpecie verò refertur ad Feudum; & jam accipitur pro inſtrumento ſuper actu inveſtiendi facto, *c. 1. §. icircò 2. F. 58. 1. F. 3.* jam pro modo acqvirendi realiter ipſum feudum, *2. F. 1.* jam pro actu ſolenni, qvo Vaſallo feudum ceditur; ſed absq; poſſeſſionis traditione, *2. F. 4.* qvam ſolennem inveſtituram, ſi Feudum ſit novum; traditio ſeqvitur *2. F. 26. §. ſi facta 4. 1. F. 3.* Si vetus, ſucceſſione partum, plerumq; poſſeſſionis acqviſitionem ſeqvitur illa Inveſtitura intra præſcriptum tempus poſtmodùm petenda, *2. F. 24. in pr.* qvæ ultima acceptio nobis hìc germana.

Magnif. Dn. Præſes Diſp. Feud. V. th. 24. Bocer. de Inveſtit. Feudi c. 4. n. 2. Rudinger. Epitom. Jur. Feud. lib. 1. c. 11. n. 1.

§. 4. Inveſtitura igitur, qvà modus Feudi conſtituendi, eſt ſolennis feudi ceſſio; qvo nomine contractum ſeu negotium innuimus, qvô id agitur, ut Feudum ſit. Et competit eidem definitio contractûs, (qvi eſt conventio obligationem efficacem propriâ ſuâ vi producens) ſiqvidem ita convenitur, ut cedatur feudum ob cauſam fidelitatis, *§. eſt & alia ingratitudo 2. F. 24.* deinde domino competit perſonalis actio, i. e. condictio causâ datâ, causâ non ſecutâ, *1. F. 21.* Nota inſuper contractus eſt, ut pacta apponantur, *l. 7. §. 5. D. de pact.* ſed hoc fit in Inveſtiturâ *§. 2. 2. F. 2.* Et hoc ita. Illos verò ferre neqvimus, qvi Feudum cum contractu confundunt; aliud enim, qvod conſtituit, aliud qvod conſtituitur; aliud, mo-

Ludwell. Diſp. XI. ad Inſtit. th. 2.

Vultej. de Feud. c. 7. n. 7. 9. Bocer. d. l. c. 2. n. 34.

1214.

dus obligationis acqvirendæ; aliud, modus adqvirendi rerum dominia, §. *ſi facta 2. F. 26.* Contractus ab initio ſunt voluntatis, pòſt verò neceſsitatem inducunt, *l. 5. C. de O. & A.* feudum verò refutari, remitti & reſtitui poteſt, *2. F. 38.* Contractus plerumq; lucri causâ fiunt, & ſolo conſenſu ineuntur; Feudum verò propriè non eſt, niſi â liberalitate fluat, *1. F. 27.* & inveſtiturâ & traditione conſtituitur. *2. F. 1.*

Schroter Diſp. 1. addit. ad th. 19.

§. *5.* Propriæ & abuſivæ Inveſtituræ de novo Feudo ſpecifica differentia eſt, qvòd in illâ tradatur res feudalis verê; in hac non ipſa res, ſed aliud qvid corporale. Nec enim differentiam ponendum eſt in poſſeſſione, qvæ in propriâ ſtatim transfertur; hoc enim non de formâ Inveſtituræ hujus, ſed de effectu verum eſt: Diſtingvendum igitur inter Inveſtituræ perfectionem atq; conſummationem.

Magnif. Dn. Præſes Diſp. F. 5. 25.

§. *6.* Forma Inveſtituræ novi Feudi vel eſſentialis, vel accidentalis. Eſſentialem abſolvunt verbalis ceſſio & teſtificatio. Ceſſio illa fit, cum dominus vel ejus Procurator ad id conſtitutus dicit: Ego te inveſtio &c. *2. F. 2.* In Teſtium verò adhibitione, qvalitatem & numerum eorundem conſideramus. Teſtes ſint homines liberi, *2. F. 58, ibi, alioqvi adhibeat;* maſculi, *2. F. 32.* & regulariter Pares Curtis, *d. text.* alioqvin ſi alii interſint teſtes, Inveſtitura minimè valet, etiamſi dominus fateatur eandem factam, *2. F. 2.* ne ſc. qvid excogiteur falſitatis in perniciem domini, aliis teſtibus inductis, corruptis fortè pecuniâ vel odio, vel gratiâ, qvæ non ſuſpicanda in paribus *2. F. 58.* Conſentit Jus Sax. Lehen-Recht/ c. 55. verſ. Soll aber Lehnung geſchehen/ daß es helffe/ ſo ſoll die geſchehen vor des Herrn mannen/ damit daß mans gezeugen

zeugen habe. Clericus qvoq; ſi de bonis propriis inveſtit, pares Curiæ adhibere debet, *2. F. 32.* Sin de bonis Eccleſiæ inveſtiat, hæc ipſi remiſſa ſolennitas, *1. F. 26.* ſi enim absq; præſentiâ & conſenſu ſuorum fratrũ infeudare poteſt, magis poterit absq; paribus Curiæ, ſiqvidem Inveſtituræ negotium potius ad ceteros pertinet Clericos, qvorum intereſt, ut Eccleſia idoneum habeat Vaſallum qvàm Curiæ pares. Teſtes extranei, qvi omnium opinione pro paribus ſunt judicati, actum omninò ſtabiliunt, qvia etiam ſervus omnium judicio pro libero reputatus, in teſtamento teſtis eſſe poteſt, §. *7. J. de teſtam.* ordin. adde *l. 3. D. de offic. Prætor.* Numerum qvod attinet, duo ſufficiunt teſtes; hinc inde enim in Feudorum uſibus teſtium mentio injicitur; pluralis autem elocutio duorum numero contenta eſt, *l. 12. D. de teſtib.* Si dominus unicum parem Curiæ habeat, illi adjungendus alius extraneus. *l. 28. C. de Teſtam.* Paribus omninò non, vel inidoneis exiſtentibus, extranei ſurrogandi, modò ſint exploratæ fidei, ſpectatæq; autoritatis, qvos meliores adhibere potuit *c. un.* §. *qvod autem. 2. F. 58.* ne ſc. probationum facultas anguſtetur, *arg. l. 21. C. de hæret.*

Rudinger. d. l. c. 11. n. 17.

§. 7. Altera inveſtituralis teſtimonii ſpecies eſt breve teſtatum, qvod eſt inſtrumentum publicum continens Inveſtituræ negotium, teſtium ſubſcriptione munitum *2. F. 2.* Teſtes & hîc ſint Pares Curiæ, qvia hæc qvalitas eſt de ſolennitatibus, *2. F. 32.* excepto uſu Mediolanenſium, ubi breve teſtatũ etiam ab aliis confirmatum ſufficit ad probandam novam Inveſtituram, *d. text.* Cum per inſtrumenti confectionem obviam eatur fraudibus, dominus compelli poterit

terit ad conceſſionis Feudi inſtrumentum erigendum, *arg. l. 26. C. de liber. cauſâ.* Qvod enim non lædit dominum, & prodeſt Vaſallo, intermittendum non eſt, *l. 7. C. de precib. Imp. offer.* & præcipua Feudi probatio ab Inſtrumento dependet, *tit. 2. ibi, nam ſi inſtrumentum, F: 2.*

Boc̃er. d. l. c. 4. n. 76.

§. 8. Præter communem Feudi rationem inter Dominum & Vaſallum conventiones qvoq; (qvæ formam accidentalem repræſentant) interponi poſſunt *tit. 2. §. præterea F. 2.* Qvæ pacta appoſita derogant naturæ Feudorum, trahuntq; feuda extra naturales terminos ad pactorum placita, modò ſubſtantiæ Feudorum non repugnent, & ſint contra bonos mores, aut impoſſibilia, *2. F. 6.* aliàs per tale pactum Inveſtitura vitiabitur, *arg. l. 31. D. de O. & A.* Hîc illa Maxima memoriâ ſepienda: *Verba conceſſionis præprimis conſideranda, atq; ex his magis, qvàm ex propriâ Feudorum naturâ dijudicandum 2. F. 18.* Rejicimus verò pactum hoc, ut domino liceat Vaſallum in caſu non præſtiti ſervitii per literas diffamatorias publicè intimatas traducere, eiq; probrum impunè objectare, *arg. l. 125. inf. D. de V. S. l. 23. §. 2. D. aur. leg. l. 15. D. de condit. Inſtit l. 14. C. de Judæ.* Qvod enim juxta *l. 18. D. de injur.* nocentem infamare permiſſum, capiendum de caſu, ubi apud Judicem qvis infamavit, & in infamante injuriandi animus deficit. Ad pacta qvoq; ſpectat, qvod in Feudo novo fœmina ſuccedat, qvæ, ſemel excluſa, perpetuò non intelligitur remota, cum emergente caſu, ut filii non extent, ſuccedat filia *1. F. 8.* & tum pateat locus fœminæ in feudi ſucceſſione, cum maſculus non ſupereſt, *2. F. 17.* hinc manifeſtum redditur, vocem *ulterius 1. F. 6.* non ſemper notam

Fiebig. Diſp. 12. ad Inſtit. Semid. q. 4. n. 23. Dn. Carpz. Diſp. Feud. 6. th. 33. Excell. Dn. D. Svev. Mecænas atq; Præceptor meus ætatem colendus Velit. 10. th. 3. l. b. Mynſing. cent. 5. obſ. 74. n. 8. Scheplitz ad Promptu. Klammeri t. 4. §. 18. & 19. VVurmſer. Ex. 2. jur. publ. q. 12.

notam perpetui temporis eſſe.(*quod Boter. vult c.5.n.63.*) Nec Vaſallus feudo privandus ob amicitiam cum hoſte domini contractam; cum tranſigere cum Adverſario citra fraudem domini Feudatarius queat. *2.F.43.* Illud, quod Vaſallus,qui cum inimicis domini amicitias ſuas copulavit, feudo privatur. *2. F.57.* cum micâ ſalis accipiendum, cum ſola illa copulatio ſufficiens cauſa privationis non ſit, ſed ea, quæ fraudi innexa,& perniciem domini molitur. Præter conventionis legem & conſvetudinis autoritatem Vaſallus domino ratione Feudi collectas præſtare compelli nequit;quia Vaſallagium nullam prorſus infert ſubjectionem *c. 5. X.de Judic.*collectæ verò Superioritatis jure â ſolis ſubditis exiguntur, cum ſubjectionis ſint probatio, *c.2. X. de cenſib.*

Dn.Carpzov. Diſp. F.9. th. 11. Scheplitz ad Klammer. t.7.§.8.n.2.

VVurmſer. Ex.6. J.Publ. q.8.

§.9. Impropriam ſive abuſivam inveſtituram appellant,quæ ſymboli cujusdam rem in feudum cōcedendam repræſentantis traditione expeditur.*2.F.2.* Impropria audit,quia per eam tantùm ad rem jus datum eſſe intelligitur:quod jus ad exigendam poſſeſſionem efficax eſt,cum illicò poſſeſſio nō transferatur, quiâ factâ inveſtiturâ pœnitere dominum poteſt,antequam poſſeſſionem transferat,*c.un.§.ſi facta 2.F.26.* deinde, quia peractâ Inveſtiturâ & fidelitate ſubſecutâ cogitur dominus mittere in poſſeſſionem *1. F.4.* Quod autē *2.F.1. & 2.F.33.* inveſtiturâ acquiri feudū aſſeritur,verum eſt quoad actum ſecundum,cum primo tantùm jus ad rē detur,arg. *l.52. D. de A.R.D.l.15.D.de R.J.* ex hac Inveſtiturâ reſultat effectus, quod inveſtiens præcisè obligatus ſit ad traditionem vacuæ poſſeſſionis *1.F.4.* Si differat,omnem utilitatē, i.e. intereſſe circa rem vel extra rem præſtabit *c.1.§.f.2.F.7.* Quod autem de cōpulſione tradendi diximus, intellectum volumus de neceſſitate conſequentis, ut ſi facultatē tradendi habeat, offerendo in-

Jacobin. de S.Georg.verb. inveſtivi talē n.4.Mynſing. C.4. obſ.61.

do intereſſe non liberetur *c.1.§.ſi facta 2.F.7. arg. §.2.J. donat.* Deinde eadem eſt tantæ virtutis, ut propriâ autoritate inveſtitus ingredi poſſit poſſeſſioné vacuam, i e. liberam, non alteri conceſſam & ab alio occupatã, cum ſufficiat ab initio voluntaté domini interveniſſe, *arg.l.1.C.de acquir.poſ.* Quamvis verò ita Vaſallus ex lege contractus occupare poſſit, duobus tamen ſeparatim inveſtitis, ſecundus, qui inſimul poſſeſſionem rei infeudatæ nactus eſt, potior eſt in feudo retinendo, primô, qui tantùm inveſtitus, *arg. l.15. C. de R.V.* cum contractus perfectione majore gaudens pingviorem pariat efficaciam, *arg.l.5.C. de O.& A.* Nec obicé ponit, quod in obligationibus facti priori antè ſatisfieri debeat, *l.26. D. locati.* quod dominus cogatur in vacuam poſſeſſionem mittere *c.un.in f.2.F.7.* quod jus ſemel acquiſitũ absq; noſtro facto auferri nõ poſſit *l.11.D.de R.I.* & quod prior tempore, potior quoq; ſit jure *l.11. D. qui pot.in pign. hab.* & quod primus impetrans vacantis Eccleſiæ beneficiũ præferatur ſecundo ſimul in Canonicum recepto *c.12.de Reſcript.in 6.* ſiquidẽ in faciendi obligationibus priori ſatisfaciendum, niſi poſteriori jam ſatisfeceris; & poſſeſſio danda, ſi eandem adhuc dominus habeat; nec hîc primo res ſua adimitur, quia non rem ſed jus ad rem habuit; largimurq; Brocardicum illud, ſed prior inveſtitus tantùm prior eſt titulô petendi ſibi poſſeſſionem tradi; in beneficiis verò Eccleſiaſticis traditioné non requiri, communiter ajunt.

n.4. Ungepaur Ex.12. q. 4. in a. j., licet in terminis aliis. Magnif. Dn. Præſes V.26. Jacobin. d.l. n.3. Hakelm. Ill. qq. Diſp. 12. th.3. l.d.

Schroter. diſp. F.V. addit. ad th. 6. Rudinger lib. 3. c.11. n.10.

§.10. Inveſtitura fit aut de novo feudo, quod nondũ eſt, conſtituendo, aut de veteri, quod jam eſt, renovãdo & in ſuccedentis perſonâ confirmãdo *2.F.32.* Utramq; facit dominus immediatè proximus, non domini dominus *c.unic.§.illud quoq. 2. F. 55.* Dominus autẽ ille, ut ab ipſo peracta inveſtitio robur habeat, legitimus bonorum ſuorũ adminiſtrator ſit *2.F.3.§.1.* proindeq; ad

Feudi

Feudi novi inveſtiturã fiendam in ſenſu conjuncto requirimus, ut inveſtitor ſit dominus, bonorũq; adminiſtrationem habeat. Ubi difficultatis plenũ exurgit ζήτημα: *Num Romanorum Imperator de bonis Imperii, inconſultis Electoribus novam Inveſtiturã facere poſſit?* quod neg. quia infeudatio quædam alienationis ſpecies eſt, cum per eam uſusfructus rei infeudatæ transferatur, *2.F.23.& l.fin.C. de rebus ali. non alie.* ſed munus Imperatoris eſt regere Imperium & ſtatũ Reip. ſuſtẽtare *l.1.C.de Trinit.l.1.C.de V.I.E.* cui verò adminiſtratio rerũ alienarũ permiſſa, alienare nequit *l.63.D.de Procur.* Jam & cõmunis pater Reip. eſt, *Nov.98.c.ult.in f.* Pater verò licet jus utendi fruendi in bonis filii habeat, alienare tamen nequit *l.1.C. de bon. matern.* Porrò electus Romanorũ Rex SeptemViris jurejurando promittit, ſe facultates Imperii nec diſtracturum, nec oppignoraturum, nec alio quovis modo deteriores facturum. Sic cõſtitutum reperitur in der Verſchreibung Caroli V. quæ extat apud Goldaſt. Tom.1. Conſt. part.2. art.23. In Capitulatione Rudolphi II. hæc habentur; Es wehre denn / daß ſolches mit rechtmäßiger bewilligung der Sechs Churfürſten geſchehen were. In Capitul. Ferdin. III. art.9. Zu dem und inſonderheit ſollen und wollen wir von dem H. Römiſchen Reiche und deſſen Zugehörungen nicht allein ohn wiſſen / willen / und zulaſſen gemelter Churfürſten ſämtlich nichts hingeben. Et licet in A.B. tit.7. hæc verba: Und ob derſelben Fürſtenthum eines oder mehr im Heiligen Reich ledig würde / ſo ſoll und mag ein Römiſcher König der zu den zeiten iſt / damit thun und handeln / als mit einem Gut / daß an Ihn und das Reich gefallen; aliud ſvadeant; puncto tamen illi quoad Ducatus & alia Imperii Feuda immediata (exceptis Electoratibus, qui, irrequiſito Electorum conſenſu, reinfeudari poſſunt: Quod & publica ſvadet utilitas, ne ſeptenarius Electorum numerus cum variis Imperii incommodis

Sleidan. lib.1. p.m. 17.

modis

n.4. Ungepaur Ex.12. q. 4. in ajo, licet in terminis aliis. Magnif. Dn. Præſes V. 26. Jacobin. d. l. n.3. Hakelm. Ill. qq. Diſp. 12. th.3. l.d.

do intereſſe non liberetur *c.1.§.ſi facta 2.F.7. arg. §.2.J. donat.* Deinde eadem eſt tantæ virtutis, ut propriâ autoritate inveſtitus ingredi poſſit poſſeſſionē vacuam, i e. liberam, non alteri conceſſam & ab alio occupatā, cum ſufficiat ab initio voluntatē domini interveniſſē, *arg. l.1.C.de acquir. poſſ.* Quamvis verò ita Vaſallus ex lege contractus occupare poſſit, duobus tamen ſeparatim inveſtitis, ſecundus, qui inſimul poſſeſſionem rei infeudatæ nactus eſt, potior eſt in feudo retinendo, pirmô, qui tantùm inveſtitus, *arg. l. 15. C. de R. V.* cum contractus perfectione majore gaudens pingviorem pariat efficaciam, *arg. l.5. C. de O. & A.* Nec obicē ponit, quod in obligationibus facti priori antè ſatisfieri debeat, *l.26. D. locati.* quod dominus cogatur in vacuam poſſeſſionem mittere *c.un.in f.2.F.7.* quod jus ſemel acquiſitū absq; noſtro facto auferri nō poſſit *l.11.D.de R.I.* & quod prior tempore, potior quoq; ſit jure *l.11. D. qui pot.in pign. hab.* & quod primus impetrans vacantis Eccleſiæ beneficiū præferatur ſecundo ſimul in Canonicum recepto *c.12.de Reſcript.in 6.* ſiquidē in faciendi obligationibus priori ſatisfaciendum, niſi poſteriori jam ſatisfeceris; & poſſeſſio danda, ſi eandem adhuc dominus habeat; nec hîc primo res ſua adimitur, quia non rem ſed jus ad rem habuit; largimurq; Brocardicum illud, ſed prior inveſtitus tantùm prior eſt titulô petendi ſibi poſſeſſionem tradi; in beneficiis verò Eccleſiaſticis traditionē non requiri, communiter ajunt.

Schroter. diſp. F.V. addit. ad th. 6. Rudinger lib. 3. c.11. n.10.

§.10. Inveſtitura fit aut de novo feudo, quod nondū eſt, conſtituendo, aut de veteri, quod jam eſt, renovādo & in ſuccedentis perſonâ confirmādo *2.F.32.* Utramq; facit dominus immediatè proximus, non domini dominus *c.unic.§.illud quoq; 2. F. 55.* Dominus autē ille, ut ab ipſo peracta inveſtitio robur habeat, legitimus bonorum ſuorū adminiſtrator ſit *2.F.3. §.1.* proindeq; ad

Feudi

Feudi novi inveſtiturã fiendam in ſenſu conjuncto requirimus, ut inveſtitor ſit dominus, bonorũq; adminiſtrationem habeat. Ubi difficultatis plenũ exurgit ζήτημα: *Num Romanorum Imperator de bonis Imperii, inconſultis Electoribus; novam Inveſtiturã facere poſſit?* quod neg. quia infeudatio quædam alienationis ſpecies eſt, cum per eam uſusfructus rei infeudatæ transferatur, *2.F.23.& l.fin.C. de rebus ali. non alie.* ſed munus Imperatoris eſt regere Imperium & ſtatũ Reip. ſuſtẽtare *l.1.C.de Trinit.l.1.C.de V.I.E.* cui verò adminiſtratio rerũ alienarũ permiſſa, alienare nequit *l.63.D.de Procur.* Jam & cõmunis pater Reip. eſt, *Nov.98.c.ult.in f.* Pater verò licet jus utendi fruendi in bonis filii habeat, alienare tamen nequit *l.1.C. de bon. matern.* Porrò electus Romanorũ Rex SeptemViris jurejurando promittit, ſe facultates Imperii nec diſtracturum, neć oppignoraturum, nec alio quovis modo deteriores facturum. Sic cõſtitutum reperitur in der Verſchreibung Caroli V. quæ extat apud Goldaſt. Tom.1.Conſt. part.2. art.23. In Capitulatione Rudolphi II. hæc habentur; Es wehre denn / daß ſolches mit rechtmäßiger bewilligung der Sechs Churfürſten geſchehen were. In Capitul. Ferdin. III. art.9. Zu dem und inſonderheit ſollen und wollen wir von dem H. Römiſchen Reiche und deſſen Zugehörungen nicht allein ohn wiſſen / willen / und zulaſſen gemelter Churfürſten ſämtlich nichts hingeben. Et licet in A.B. tit.7. hæc verba: Und ob derſelben Fürſtenthum eines oder mehr im Heiligen Reich ledig würde / ſo ſoll und mag ein Römiſcher König der zu den zeiten iſt / damit thun und handeln / als mit einem Gut / daß an Jhn und das Reich gefallen; aliud ſvadeant; puncto tamen illi quoad Ducatus & alia Imperii Feuda im̃ediata (exceptis Electoratibus, qui, irrequiſito Electorum conſenſu, reinfeudari poſſunt: Quod & publica ſvadet utilitas, ne ſeptenarius Electorum numerus cum variis Imperii incom-

Sleidan. lib.1. p.m. 17.

 modis

vzzo.

modis diminuatur: Quod de ſecularibus intelligendum: Eccleſiaſticorum enim ſi unus decedit, Capitulum in vacantis locũ alium deſignat & eligit: qui tamen ita electus, promiſsá fidelitate, Regalia ab Imperatore obtinere tenetur. Ad numerum verò Electorum augendum Imperatoris & Imperii conſenſus requiritur, ut patet ex Inſtrumento Pacis de An.1648. art.4. ibi: belangend daß Hauß Pfaltz/ bewilliget die Käiſ. Majeſtät und daß Römiſche Reich &c.) Capitulationibus poſteriorum Impp. derogatum.

Arum. ad A. B. Diſcurſ. 4. c.16. Rumelin. Diſſert. VII. ad A. B. c.11. p.112. Bocer. d.l.c.3. n.66. Jacobin. de S. Geor. verb. in feudum n.2. p.76.

§.11. Etiam Vaſallus feudum largiri poteſt, quod ſubinfeudationem, Afterlehen/ initiarunt; quæ actus, quo Vaſallus feudum, quod habet, vel totum, vel aliquam ejus partem alii in feudum concedit legitimè: cujus formalitas in eo conſiſtit, ut ſincerè, & illi, qui eſt majoris vel ſimilis conditionis cum Vaſallo Subinfeudatore, & iisdem legibus, quibus ipſe habet, fiat. *2.F.9.* Etſi verò in Subvaſallũ utile transferatur dominium, apud ſubinfeudantẽ tamen remanet quoddam quaſi utile dominium ratione Vaſallagii, quod habet in Vaſallum, & ſubfeudatarius utile dominium ſubalternatum adipiſcitur. Quamvis etiã ſubinfeudatio ſit actus dominium transferens, prohibita tamen non eſt, ſicut reliquæ alienationes: Qui in rationem ſeſe penitrant, incaſsùm laborant, cum conſvetudini idipſum acceptum ferendum, quæ in feudis principalem obtinet locum *c.un.§. in judic. 2. F.1.* aut potius natura ſubinfeudationis ita fert, quia feudũ eà nõ tollitur, ſed cõfirmatur, quippe quod ſubfeũdũ præſupponat feudũ; Feudum verò dominium arguat: quæ natura non eſt ceterarum alienationis ſpecierum.

Jacobin. de S. Georg. verbo, ita etiã quod ipſi Vaſalli n.5.

Gail. 1.117. n.5. Vultej. de Feud. c.10. n.85. Scheplitz ad Klammer. tit.7. §.5. n.5.

§.12. Objectum Inveſtituræ res certa conſtituit, quæ ad feudi naturam recipiendam ſit apta *2.F.3.* Inveſtituræ etiam hæc qualitas eſt, ut fiat vel purè, vel in diem, vel ſub conditione *1.F.2. 1.F.3. 2.F.35.* Non improbanda Inveſtitura facta de feudo Vaſalli adhuc viventis ſub conditione mortis: licet enim

enim cõmuniter dicatur, quod per pacta ſucceſſoria conſtringatur & auferatur libertas teſtandi *l.15.C.de pact.* & votum captandæ mortis inducatùr, non tamen hæ prohibitivæ rationes ſufficiunt; aliâs enim pactum de nõ ſuccedendo eſſet licitum, nec â Chriſtiano præſumendum, ipſum alterius fata anticipaturum; imò ſic jure Civili nec donatio mortis causâ, nec nuncupatò facta inſtitutio heredis, nec ſubſtitutio pupillaris, nec legitima hereditas valerent: veriſſima igitur ratio, quod omnis ſucceſſio ſit ex jure publico *l.3.D.Qui teſt.fac.poſſ.* quod ipſum, jure ſummo per mortem extincto dominio privato, de bonis defuncti diſponit: Jam verò publicum Feudorum jus permittit (aut diſponit) ejusmodi feudum ad dominum reverſum ita dari *2. F.35.* prætereà ſi taliter inveſtitus accelerarct Vaſalli mortem, ſpe ſuccedendi poſſet privari.

Frantzk. Ex. 8.q.10. n. 9. Vultej. de Feud. c. 7. n. 48. Magnif. Dn. Præſes V. 42. Dn. Carpzov. Diſp. F. 6. th. 36. Bocer. d.l. c.5. n.15.

§.13. Jure Saxonum non incognita Inveſtitura Expectativa, quæ certa & incerta. Illa dicitur, quando in caſum certi alicujus Vaſalli ſine liberis maſculis & agnatis decedentis de certo prædio quis inveſtitus eſt. LehenR. c. 5. in pr. Zweien Mannen mag der Herr ein Gut leihen/alſo daß einer die Gewehr daran habe/ der ander daß Geding. Hæc, de incerto incerti prædio. Diſtinctionis uſus in eo ſeſe exerit, uter alteri, ſi plures inveſtiti, præferendus? De certo inveſtitus prædio antefertur omnibns. Si uni certa, alteri incerta ſit facta expectativa, & certum iſtud feudum aperitur domino, præfertur certam habens, licet poſterior ſit tempore, cum iſtud feudum nõ habeat qualitatem incerti feudi. LehenR. c.7. in pr. Hinc patet, reliquos, quibus ſub incertà inveſtitio facta eſt, ad intereſſe & æſtimationem poſſe agere.

Magnif. Dn. Præſes V. 43. ſeq.

§.14. Conditionatæ Inveſtituræ Vaſallus neceſſe non eſt ſuffragetur *2.F.35.t.26.§.moribꝰ F.2.* cum ipſi præjudiciũ nullum hîc creetur, & dominus ſaltẽ de jure ſuo in caſum feudi ſibi aperti diſponat. Conſentit Saxo in LehnR. c.10. in pr.

1722.

Etliche Leute ſagen/ daß man kein Geding jemand leihen möge/ man bitte denn den darumb/ der daß Gut in gewehren hat/ daß iſt doch nicht. Extra circulos noſtros evagantes hoc immiſcemus; quod Expectativa Profeſſionis, hac nondũ vacante, à Patrono concedi poſſit, vel ſub conditione, ſi jus nominãdi habeat Academia; vel ſimpliciter, ſi à Patroni collatione tantùm dependeat: nulla enim ratio prohibet, quò minùs & Profeſſio conditionalis hujus Inveſtituræ latè ſic dictæ objectum ſtatui poſſit; *arg. c. ſi verò 1. F. 3.*

Excell. Dn. Svev. Diſput. de Singularibus Perſonar. §. 73.

§. 15. Sicut mortis cauſâ donatio, ſic & cogitatione mortis vel periculi alicujus promiſſio feudi poteſt fieri *§. 1. I. donat.* nominatur ein Lehn auf die Flucht geliehen. Nobilitata eſt diſtinctio Feudi in ſingularẽ & Simultaneam: Hæc eſt actꝰ, quò dominus cum cõſenſu poſſeſſoris Feudi, unũ vel plures volentes & ſcientes inveſtit, ita, ut tam poſſeſſor inveſtitus, quàm ſimultaneè inveſtiti id ſimul habeant, & ſibi invicem in eo ſuccedant. Hujus Jure Saxonico inductæ diverſa ratio eſt ab eâ, quæ cõmuni jure Feudali invaluit; hoc enim jure conſenſus poſſeſſoris haut expiſcandus eſt, *c. un. §. moribus 2. F. 26.* Saxo verò ſtatuit, ut Vaſalli conſenſio accedat, cũ de ejus præjudicio agatur, & quaſi ſocietas quædã ineatur. Deinde Saxonica hæc Inveſtitura ſecundũ ſpecialẽ loci ritum, nõ ſecundum generalem formã jure Feudali cõmuni conſtitutam peragenda, cum Longobardorũ, ut putatur, jure incognita ſit. Ampliùs in hac Saxonicâ inveſtitione exigitur, ut ea fiat ſimultaneè; quæ itidem producit reciprocã obligationem & cõmunionem quandam ad jus ſuccedendi, & jus inde quæſitũ inveſtitũ & ejus deſcendentes reſpicit, paritq; actionem revocatoriam. Ex tenore Inſtrumenti Pacis de An. 1648. art. 4. Domui Palatinæ Rudolpheæ lineæ, in iis, quæ Wilhelmicæ ſpecialiter ſunt conceſſa, ſimultanea Inveſtitura data eſt, ibi: Deſſen aber jedoch/ was dißfalß Chur-Bäjern/ und der gantzẽ Wilhelmiſchen Linien ſpecialiter concedirt und zugeeignet worden/ ſoll Herr Carl

Conſult. Sax. q. 107. & 108. p. m. 179. Magnif. Dn. Præſes V. 60. &c. Rudinger. Method. Feud. c. 11. Schroter Diſp. V. addit. ad th. 11.

Carl Ludwig/oder deſſen Succeßoren/Ihm nichts/auſ-ſer der ſimultanen Inveſtitur,anzumaſſen haben. Modus hic inveſtiendi tollitur mutatione Domini vel morte Vaſalli Conſtit.Elect.45.p.2.§, der geſamten hand aber. diviſione bonorum reali. LehnR. c.32.verſ. wenn ſie ſich aber theilen. d.conſtit. §. gleicher geſtalt; & aliis modis.

§.16. Inveſtitura aut vera,aut præſumta: Hæc reſultat ex lapſu longiſſimi temporis,quò nō minùs atq; verâ feudum acquiritur *c.1.§.ſi quis per triginta 2.F.26.* cum præſcriptio per ſe ſit modus acquirendi,*rubr.I.de Uſuc.* Quod autem *c. unic.§.ſciendum 2.F.1.* ſucceſſione & inveſtiturâ feudum acquiri dicitur,verum eſt de feudo proprio,quod ex merâ liberalitate datur,non de improprio, quod citra benevolentiam fit,*arg.l.1.C.de Servit. & aq.* Deſiderantur verò ad hoc feudum quatuor 1. ut Vaſallus rem poſſideat; titulo autem opus nō eſt,cum tantum temporis ſpatium & animus poſſeſſoris habendi rem in feudum, cenſeantur loco tituli *c. unic.§.4. 2.F.26.* Bonam fidem tamen exigimus. 2.res ſit poſſeſſa tanquam feudum *d.§.4.* 3.ut per 30.annos poſſeſſor poſſideat. 4. ut idem à domino requiſitus ſervitia feudalia præſtiterit ceu Seniori ſuo.

Magnif. Dn. Præſes. d.l.V. 73.Dn.Carpz. Diſp. F.6. th. 51. Vultej. de feud. c.9. n.4. Schroter diſp. V. addit. ad th.21.Duaren. de feud. c.8. n.2.

§.17. Inveſtitura vel nova vel vetus;Hanc renovationem ſeu recognitionē Feudi dicunt, quæ toties apud dominum impetranda,quoties vel domini vel Vaſalli perſona mutatur *2.F.24.* & feudi antiqui quædam eſt redintegratio, nec quid alterat, aut inveſtito jus novum tribuit, ſed quod ex ſtipite agnationis competit,firmat.

§.18. Petenda renovatio à domino Feudi immediato *2.F. 34.* In Imperio regulariter ab Imperatore,ſi ſint Feuda Regalia. Ubi obiter addimus, quod de Feudis Regalem dignitatem annexam habentibus ſolus Imp. cognoſcat: Controverſiam enim,quæ inter Capitaneos i.e. majores Vaſallos vertitur,Rex finire debet *2.F.34.Ordin.Camer.part.2.t.7.*

Braudlacht. Epit. jurispr. Pub.l.2. c.10. n.6. & ibi Carol: vom Hagen. Reink.1. 4. 19. Gail. 1.1.31. VVurmſer Ex. j[illegible] 7.19.

§. ob

1729.

§. ob auch ſachen vorfielen: Et ſic Ferdinandus II. in ſachen Heſſen cõtra Heſſen/die Marpurgiſche Succeßion betreffend/ſolus cognovit, & pronunciavit. Petenda toties, quoties caſus emergit, ut vel ex conventione vel cõſvetudine peti debeat. Jure Imperii intra annum. R.A. 1512. §. und behalten uns bevor / daß in einem Jahr einem jeden ſeine Regalien zuempfahen gebührt. Jure Feudali communi intra annum & diem *2. F. 24.* Jure Saxonico intra annum & ſex ſeptimanas LehnR. c.25, ibi, binnen 6. Wochen und einem Jahr. Petenda tempore convenienti & loco congruo, & regulariter in territorio ad domum domini, niſi privilegium obſtet, quale Auſtriacę Familię â Friderico II. conceſſum, daß die Ertzhertzogen nicht ſchuldig ſein ůmb emphahung jhrer Lehn / außerhalb deß Landes Oeſterreich nachzureiſen. Petenda tandem humiliter, reverenter & obſequiosė. Quâ renovatione Jus Vaſallagium corroboratur, & Princeps Vaſallus plenisſimam juris ſui asſecurationem habet.

Brandlacht. d. l. n. 10. Carol. Vom Hagen J. pr. Publ. l. 2. c. 10.

§. 19. Nunc ad id, quod hanc introductionem comitatur, veniendum. Promiſſio fidelitatis vel injurata vel jurata. Illa non niſi ex contrahentium conventione fit, cum in feudis regulariter juramentum fidelitatis ſit pręſtandum. *2. F. 5. 2. F. 3.* Juramentum Fidelitatis triplex; Unum Subjectionis ſeu homagii, cum ſubditus Magiſtratui ſe obſecundantem fore promittit: unde apparet, hujus ſubjectum eſſe ſubditos ratione univerſalis territorii, Juriſdictionis & publicæ tutelæ domino cõpetentis: Et ſic exigitur reſpectu perſonæ, non bonorum contemplatione; non enim ad fundandam ſubjectionis perſonalis qualitatem res poſſeſſæ ſufficiunt, cum prædium nullum cenſeatur feudale, niſi probetur; & tantùm quoad Juriſdictionem, non rerum proprietatem, omnia Principis eſſe intelligantur *l. 3. C. de quadr. præſcript.* Inſuper aut exigitur ratione poſſidentis prædium in territorio, tunc iniqua petitio, cum ille ibi larem

rem

rem non poſuerit; aut ratione bonorum, & adhuc domino mos gerendus non eſt, cum propter allodium nullus juret. Nec Status Imperii, qui nō jure proprio, ſed principaliter municipali jure ſub alio Statu dominia, &c. poſſidet, loci ſit ſubditus, cum ſola bonorum poſſesſio ſubditum non faciat *l. 17. §. 5. D. ad Municip.* nec ob ſolam domus vel poſſesſionis cauſam publici juris autoritas quenquam ſubjugari ſinit, *l. 4. C. de incol.* ac perſona, ceu principale, trahit ad ſe qualitatem bonorum, ut acceſſorium *l. 178. D. de R. J.* Et quamvis quis ratione bonorum forum ſortiatur *l. f. C. ubi in rem actio.* id tamen non eſt perpetuum, cum & ratione contractûs id fiat, & dominus coram Convaſallis in causâ Feudum concernente conveniri poſſit, *2. F. 73.* ipſeq; *Gail. 2. obſ. 36. n. 15.* fateatur, aliud eſſe, ſortiri forum, aliud ſubjectum eſſe.

Quod tamen affirmat Gail. de Arreſtis c. 6. n. 10.

Reink. 1. 4. n. 45. Carol. võ Hagē. Jurispr. Publ. l. 2. c. 11. n. 4. Mynſinger 1. 99. & 5. 75.

§. 20. Alterum, Familiaritatis ſeu Officii, quod Familiares Principum ratione officii præſtare coguntur *2. F. 5.* Cum enim clandeſtinis ac domeſticis fraudibus facilè quidvis pro negotii oportunitate in caput domini aut res ejus confingi poſſit *arg. l. 27. C. donat.* Dominus, cui in ſuos temperata conceſſa coercitio & quaſi Jurisdictio, ejusmodi Jurisjurandi exactione feliciter nocendi libidinem præſcindit.

§. 21. Nunc de tertio, ſc. Juramento Vaſallitico. Feudalitia fidelitas & Homagium etſi vulgò promiſcuè uſurpentur, realiter tamen differunt; contradiſtingvuntur enim *in c. 14. X. de jurej. ibi & homagii & fidelitatis puritatem*; hincq; hominium definitur aliter ſuprà § 19. ac ſtatim definietur feudalitia promiſſio. Porrò hominium pro ſpiritualibꝰ fieri non poteſt c. ult. X. de R. J. F*eudum* verò *dari poteſt, ut Vaſallus*, Eccleſiaſtica perſona, *certis temporibus domino Feudi concionetur, aut preces ad menſam domini recitet, arg. t. 10. §. f. F. 2.* Quî in aliis hoc Vaſalliticum ab Hominio diſcernatur, vide ſis apud Hagen l. 2. c. XI. n. 9.

1726.

§. 22. Promiſſio Fidelitatis feudalitiæ eſt cautio, quâ Vaſallus Domino Feudi ſpondet, ſe illi fidelem fore. Præſtatur â Vaſallo ob feudum conceſſum Domino, cum Feudum ipſi de novo confert, vel Inveſtituræ renovationem petit, ſub ſolitâ & antiquâ formâ, quam ipſi conſtituere, vel jus præſcripſit *2. F. 5.* Inſolitum igitur jusj. præſtandum non eſt: Sicut enim Vaſallus cauſam Domini deteriorem reddere nequit; ſic nec Vaſallus gravandus. Et perperam fit, ubi rerum compendium cum alterius diſpendio quæritur. Quamvis autem Dominus in his omnibus, ad quæ obſtrictus Vaſallus, vicem fideli ſuo reddere debeat *2. F. 6.* tamen ad præſtandum Vaſallo hoc juramentum non tenetur, cum is tantùm fidelitatem recuſare nequeat, cui Inveſtitura facta *2. F. 3.* nec hoc jure Feudali cautum; erubeſcimus autem ſine lege loqui, N. 18. c. 5. ac licet patrono ſuo juret libertus, huic tamen ille jurare non tenetur *l. 13. §. pen. D. damn. inf.* Sed & abſonum, inferiori ſuperiorem jurare. De Formulis jurandi Magnif. Præſes. V. 15.

Jacobin. de S. Georg. verb. Qui quidem inveſtiri n. 16. Bocer. d. l. c. 4. n. 47. Everhard. Topic. à correl. n. 12.

§. 23. Cum nulla Inveſtitura fieri debeat ei, qui fidelitatem recuſat *2. F. 3.* in f. utique & cui modicum & francum feudum conceſſum, juramentum fidelitatis præſtare cogetur: Tum enim fidelitas non eſt præſtanda, cum ita conventum *2. F. 24.* in pr. qui caſus exceptus arguit regulam eſſe in contrarium. Porró etſi francum Feudum quoad ſervitiorum præſtationem â feudi naturalibus recedat, quoad ſuum tamen Formale eſt Feudum, *arg. 2. F. 48.* & ſic juris eſt: licet conſvetudo circa feudum modicum introduxerit aliud; cui ſtandum, cum legem poſſit vincere *l. 2. C. quæ ſit longa conſvet.* Hîc commodè, exiſtimamus, locus ſeſe aperit de eo quærendi: Num Feudum Ligium à Pontifice Romano concedi poſſit? Ante hujus definitionem præmittendum, Feudum illud eſſe, de quo inveſtitus domino fidelitatē præſtare debet contra omnes,

Bocer. c. 4. n. 13. 14. Vultej. de feud. c. 7. n. 39. Dn. Carpz. Diſp. F. 6. th. 21.

nullo

nullo antepoſito i. e. excepto, §. *ſatis bene 2. F.55.* Conceditur ergò Feudum ita, ut alii Fidelitas non reſervetur, *clem. paſtoral. 2. §. rurſus*; & Vaſallus principaliter quidem perſonam ſuam, in conſequentiam verò etiam omnia ſua bona non feudalia ſubjicit poteſtati Domini, nemine excepto. Jam ad rem; Etſi quidam id arguant *ob. 2 F. 100. & dict. Clement.* & ipſe Bonifacius A. C. 1300 tempore Jubilæi exclamarit: Ego ſum Pontifex, & Imperator, celeſte & terreſtre Imperium habens; negans tamen opinio communiter defenditur; cum Feudum Ligium concedat nemo, niſi qui ſuperiorem non recognoſcit: Papa verò, etiamſi in Imperatorem prætendat jus quoddam, non tamen auditur, nec ipſi paretur. Adde, quod concedatur, Imperatorem eſſe ſubjectum Feudi Ligii: jam ſi minor eſt Papâ, dubium hoc jus redditur, etenim ex Ligio, ubi nemo excipitur, fieret non Ligium, ubi prior & antiquior Dominus excipitur.

Ruding. Method. Feud. l. 1. c. 5. n. 11. Duaren. c. 4. n. 6. Vultej. c. 8. n. 20.

Magnif. Dn. Præſes. Diſp. F. II. th. 37. Fomān. diſp. 15. ad Inſtit. coroll. 1. Vultej. de feud. c. 8. n. 22.

§. 24. Qui inveſtituræ particeps fieri cupit, juramentum hoc præſtare tenetur vel per ſe, vel per Procuratorem *c. 1. §. perſonam 2. F. 3.* Sicut & dominus per Procuratorem fidelitatem recipere poteſt *d. l.* Bannito tamen & excommunicato per Imperatorem fidelitas facienda non eſt, cum Vaſallus ſolutus interim ſit ſacramento Fidelitatis *2. F. 28.* Qui textus id etiam adſtruit, quod quoad effectum agendi â Magiſtratu ſolo Politico poſſit juramentum relaxari: addatur l. fin. D. ad Municip. Eandem verò fidelitatem præſtant omnes Vaſalli abſque ullo diſcrimine ſexus, ætatis, aut dignitatis *2. F. 3. §. præterea 2. F. 55.* 2. F 100. Elector tamen Saxoniæ Bambergenſi Epiſcopo juramentum non præſtat, ſed vel poculo vel oſculo confirmatur actus pedem pede premendo. *Dominus ergò, ut dictum, recipit fidelitatem.* Si plures Domini feudum inter ſe dividant, nullo modo niſi unam fidelitatem ex feu-

Conſult. Sax. P. 1. q. 4. n. 13. Reink. 3. 1. 10. 55.

Magnif. Dn. Præſes V. 9.

 do

1728.

feudo habere poſſunt; ſervitium tamen omnibus non gravitate, ſed moderamine faciendum eſt *2. F. 77.* Feudo verò necdum diviſo, fidelitas ante diviſionem haut præſtanda, quoniam ſecundum jus Feudi non debet quis duas fidelitates pro eodem Feudo facere *2. F. 102. Et Vaſallus fidelitatem facit.* Plures Vaſalli ejus, qui feudum acquiſivit, fidelitatem facere debent omnes, maximè ſi feudum indiviſum habent §. *omnes 2. F. 26.* Cui haut *2. F. 77.* refragatur; diſtinguendum enim inter fidelitatem generalem & ſpecialem ſeu individualem: Generalem præſtant omnes, qui partem Feudi habent vel diviſi vel dividendi: & una fidelitas ſcil. generalis eſt, cum plures fratres indiviſim poſſident; ſin feudum partiti fuerint, quot partes tot fidelitates ſcil. individuales, quæ tamen ſub generali comprehenduntur. *Aut dicimus;* Fidelitatem non ex perſonis ſed ex feudo æſtimandam, ut, licet plures jurent, una tamen tantùm, contemplatione Feudi, eſt fidelitas, etiam quando Feudum pro diviſo poſſidetur, cum adhuc unum ſit feudum, licet partes, nondum ſeparatas, in ſe contineat: eſſetque abſurdum, Fidelitatem â pluribus diviſim poſſidentibus, de uno eodemque Feudo factam, fidelitates eſſe plures.

Schroter. Diſp. V. addit. ad th. 15. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 7. n. 91.

§. 25. Fidelitas ab utraque parte per Procuratorem efficaciter expediri poteſt §. *ſed utrum. 2. F. 3.* quod enim per me facere licet, etiam licebit per alium, ſi contrarium non ſit diſpoſitum. Speciali verò mandato Procuratorem oportet eſſe inſtructum: Jure enim Civili juramenti præſtatio ſpeciale deſiderat mandatum *l. 43. §. 1. D. de jurej.* Sed cum id jure feudali diſpoſitum non ſit, civile ſequendum *2. F. 1.* Adviſati ergò ſint Vaſalli, ut ſpeciale mandatum habeat Procurator, loquitur *Iacobin. de S. Georg. verb; Qui quidem inveſtiti n. 10.* Civitas etiam

vel

1729.

vel Univerſitas, ſi Feudum habeat, per Syndicum ſpeciali mandato inſtructum, jurare debet §. *ſed utrum 2. F. 3.* §. *item inveſtitura 2. F. 58.* cum & jure communi permiſſum, quod communiter agi fierique oportet, per Syndicum agatur, fiat *l. 1. §. 1. D. quod cujusq; univ.*

Mynſing. C. 4. 59. Dn. Carpzov. Diſp. F. 6. th. 29. Bocer. c. 4. n. 25.

§. 26. Elegantem, ſed in qua Feudorum-Conſulti ſerram reciprocant, tandem annectimus quæſtionem: *An Parens Vaſalli excipiendus ſit, ita ut adverſus eum Filius Domino fidelitatem jurare, eumque juvare non teneatur?* Primâ fronte Filius etiam contra patrem armandus videtur, cum contra omnes Vaſallus debeat dominum adjuvare, & contra fratrem, Filium & Patrem §. *f. 2. F. 28.* & usque ad ultimum diem vitæ fidelis eſſe debeat domino contra omnem hominem, excepto Imperatore vel Rege *2. F. 7.* Præterea feudum detur maximè propter ſervitia militaria §. *& ſi ſervero 2. F. 7.* diſciplina autem caſtrorum antiquior eſſe debet liberis, quàm charitas parentum *l. 19. §. 7. D. de captiv. & poſtl. reverſ.* Accedit autoritas Feudiſtarum, cui eorundem Filii asſurgunt quàm libenter; Sic laudare licet *Jacobin. de S. Georg. d. l. n. 15. Curtium Juniorem Tract. Feud. part. 4. num. 8. p. m. 323.* Ex adverſo reclamat jus divinum & naturale, quorum utrumque honorandum Patrem dictitat, atque hoc divinâ providentiâ conſtitutum ſemper firmum atque immutabile permanet §. *11. J. de J. N. G. C* & naturæ juſſum eſt, ut parentibus pareamus l. 2. D. de J. & J. Sed & Ipſi *Jacobinus & Curtius* negant, poſſe â Vaſallo contra ſeipſum juvari dominum; Jam verò naturâ pater & filius eadem eſſe perſona penè intelliguntur *l. fin. C. de impub. & aliis ſubſtitut.* nec Vaſallus contra antiquiorem dominum quid moliri poteſt, §. *fin. 2. Feud. 28.* ſed ſanè majori honore mactandus parens, cum hunc

1730.

Natura; dominum Feudi verò conſvetudo & inventum humanum dederit. Inſuper nec intertrimentum Patriæ parare Vaſallus poteſt; at *l. 2. D. de J. & J.* jungit Parentes & Patriam. Hîc in bivio opinionum conſtituti ſtatum controverſiæ ritè formamus: ſermo verò nobis non eſt de patre, qui Patriæ arma infert, aut religionem Chriſtianam oppugnat, cum Filium, qui Patrem ad Patriam delendam & liberos interficiendos venientem occidiſſet ſine ſcelere, etiam præmio afficiendum omnes conſtituerunt *l.35. D. de relig. & ſumtib. fun.* ſed de patre ſimpliciter ita dicto; deinde etiam de omni caſu ſuprà citatos textus audimus: Jam dicimus; *Quoties non ad lædendum Patrem, ſed ad recuperandum, quod pater Vaſalli debet domino, auxilium præſtet domino Vaſallus contra patrem neceſſe eſt* § *& ſi ſcivero te velle juſtè aliquem offendere 2. F. 7.* Porrò Feudiſta *2.F.28. in pr.* ſic infit. Cum palàm eſt, quod irrationabiliter eam (guerram) facit (dominus) adjuvet eum ad ejus defenſionem; ad offendendum verò alium non adjuvet ſi vult: ſed ſi eum adjuvare noluerit, non tamen feudum amittet. Inde elicimus, quod cum cauſa domini irrationabilis & iniqua, opem ſuppeditare debeat Vaſallus domini defendendi tantum causâ, non adverſarii lædendi: Si hoc; quantò magis contra patrem tuendus dominus, cum recuperandi ſui causâ capit arma: Nec Vultej. & ex eo Bronchorſt elabuntur, putantes, tùm contra patrem aliquid machinandum, cum injuſtè dominum offenderit; Reſp. cum §. *fin.* *2. F. 28.* de adjumento Vaſalli, non ſolùm verò de offensâ, quam paſſus dominus, loquatur; deinde hîc nihil ſingulare diſpoſitum eſſet, cum quivis alius Vaſalli dominum injuſtè preſſum & periculo vitæ proximum defenſare jure teneatur.

Videatur Bocer. c.4. n.41. Vultej. de Feud. c.10. n. 33. p.586. Bronchorſt C.2. Miſc. aſſert. 93.

Corolla-

Corolla.

Leuteratio ſine ſpeciali mandato à Procuratore ad certam litem dato juſtificanda eſt.

LEuteratio, quæ remedium ſuſpenſivum conſvetudine inter Saxones introductum ad hoc, ut ſententia lata declaretur, quâ pars ſe gravatam exiſtimat, in multis cum Appellatione convenit: Sicut enim hæc, ita & Leuteratio intra decendium interponenda: Utrobique non deducta deduci poſſunt *l. 4. C. de tempor. Appellat.* Utrique parti utraque communis, *Part. 1. Conſtit. 19.* N. G. O. tit. 35, ibi, alß eines gemeinen beneficii. Utrobique ſententiam declarari aut reformari petitur, & pendente inſtantiâ nihil eſt innovandum. Rectè itaque *Schneidew. ad §. 32. J. de Act. n. 37.* Leuterationem, ait, habere effectum Appellationis. Quod cum ita ſit, Procurator citra ſpeciale mandatum interpoſitam Leuterationem tàm in definitivâ quàm ſententiâ interlocutoriâ perſequi tenebitur, quia provocatio perſequendo efficitur valida *l. 17. C. de Procurat.* & ceſſante demum Procuratore dominus reſpondere poteſt *l. 2. D. an per alium cauſæ Appellat.* Appellatio & Reſtitutio in integrum ejusdem juris cenſentur *l. 42. D. de minorib.* ſed reſtitutorium judicium cogendus eſt defenſor accipere *l. 46. §. 3. D. de Procur.* Porrò Procurator agere debet; agimus verò, dum in judicio rem usque ad finem perſequimur, *arg. pr. J. de Act.* Nec hic actus Jure Saxon. invenitur recenſitus inter ea, quæ ſpeciale mandatum deſiderant. Sed & hæc verba N. G. O. *tit. 35.* Daß ein jeglicher Leuterant innerhalb 6. Wochen und 3. Tage ümb Citation zur proſecution &c. tam

Excell. Dn. Svev. Velit. 17. th. fin. l. c. Dn. Fiebig. in Proceſſu, parte generali §. 19. de Leuterat.

Bronchorſt. Cent. Miſc. aſſ. 25.

1732.

Beſſel. Diſſert. VII. ad π. th. 3. p. 133.

tam de Procuratore, quàm Principali audiri poſſunt. Jus Canonicum tamen hîc diverticulum facit *c. 14. X. de Procurat.* Poteſt videri Beſſel: qui tamen d. l. hoc abſurdo ſe involvit; dum enim ex Jure Canonum probaturus hanc Maximam; Quod Procurator etiam Appellationem proſequi teneatur; ita dixit: Idem judicandum de Judicio Appellationis, quod de Judicio principali, cum pendens & annexum ad judicium principale ſit c. 3. X. de Judic. mox ſubjicit: Quorum (negantium Beſſelianam Maximam) ſententia jure Canonico fundata eſt, quo jure non tenetur appellationem proſequi. hęc Ille. Non juvaret dicere, per conſequentiam ex d. c. 3. probari; aut inde regulā tantùm peti: Reſp. qui per conſequentiam probat, ex canone probat; arg. *l. 13. D. de ll.* Et ſub regula ſimilis caſus comprehenditur. *l. 1. D. de R. J. & ibi Broncborſt.* Poſſet quis ratiocinari: Quo jure contrarium à caſu, quem Beſſel. tractat, deciſum, ex eo jure malè Beſſel. caſum ſuum probat. &c.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE